



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illustrium Virorum Poemata**

**Amstelodami, 1672**

Illustrissimo & Excellentissimo Viro Carolo Sanctamauraeo Duci  
Montoserio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11215**

Sollemnes olim ludos, & sacra Minervæ  
 Quinque fuit junctos mos celebrare dies.  
 Quare amat hos colles etiam nunc Diva, lacusque,  
 Plurima quos glaucâ vestit oliva comâ.  
 Atque adeò præfens Albæ cùm proxima nuper  
 Vidit ALEXANDRUM per juga ferre pedem :  
 Lætus ades, dixit, nostrosque invise recessus,  
 Terrarum Custos maxime : lætus ades.  
 Hic positâ regni tantisper mole, licebit  
 Otia prolatis dulcia rebus agas.  
 Quando dira lues, & frugum tristis egestas :  
 Auspice Te, Latios pulsa reliquit agros.  
 Mox instaurato mens corpore firmior, altas  
 Imperii curas, & geret orbis onus.  
 Intereâ dignam servato Cive Coronam  
 CHISIAÇIS Dryades texite de foliis.  
 Alma Ceres, spicas ; date laurea ferta merenti,  
 Aönides : partâ mox mea pace feret.

*Illustrissimo & Excellentissimo Viro*

CAROLO SANCTAMAURÆO  
 DUCI MONTOSERIO.

**M** Ars tibi cum Musis lauros & Apolline debet,  
 Martis & Aönidum, Carole, grande decus.  
 Tu patriæ, tibi quæ LUDOVICUM credit alendum,  
 Borboniæ debes spem columnenque Domûs ;  
 Quem virtute parem magno formabis Achilli,  
 Rege licet fuerit Rex genitore minor.

O S A D